

DISSERTATIO
*IDEAM PERFECTAE HUMANITATIS
DEFINITURA.*

Quam,
Cons. Ampl. Facult. Philos. Reg. Acad. Aboënsis,
PRAESIDE
FRANCISCO M. FRANZEN,
Reg. Acad. Bibliothecario,
PRO GRADU
Publico examini modeste offert,
JACOBUS ABRAH. STRÖMMER,
Ostrobothniensis.
In Audit. Minori die 21 Jun. An. MDCCXCVIII,
Horis a. m. consuetis.

ABOAE,
Typis Frenckellianis.

-i-

VIRO
Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,
DOMINO
Mag. JACOBO STENIO,
Pastori ac Praeposito Ecclesiarum, quae Deo in Pjelijärvi,
Nurmis & Juga, colliguntur, meritissimo,

Avunculo & benefactori pia mente observando,
Opusculum hoc sacrat

Plurimum Reverendi atque Praeclarissimi
Nominis sui

cultor devotissimus
Jacobus Abrah. Strömmer.

-ii-

§. 1.

Cum aliquam rem perfectam esse dicimus; aut cum generis notione, ad quod pertinet, eam comparamus; atque ita esse perfectam judicamus, si huic plene conveniat. Sic hominem, in via mihi occurrentem, perfecte esse Negrum censeo; si omnia ea, quibus Negri a ceteris gentibus distinguuntur, descriptio ejus contineat.

Aut in singula re, cum aliis non collata, omnium partium ejus harmoniam, ad finem ejus obtinendum aptissimam, admiramur. Sic horologium meum, si temporis cursum accurate indicat, perfectum habeo. (a)

(a) Ab hac perfecti notione non multum differre illa videtur, quam Kantius definit (Critik der practischen Vernunft, I. Th. I B. I Hauptstück p. 70. 2:te aulf.): *”Der Begriff der Vollkommenheit kan entweder in theoretischer Bedeutung genommen werden, und da bedeutet er nichts, als Vollständigkeit eines jeden Dinges in seiner Art. In practischer Bedeutung aber ist er die Tauglichkeit, oder Zulänglichkeit eines Dinges zu allerley Zvecken”*. Cur autem *allerley*? Nonne theoretica rei perfectae notione finis ejus *unus* determinetur: ad quem assequendum rei istius aptitudo, perfectionem ejus, practice intellectam, constituat?

-1-

In utroque autem casu observare licet: ideam mihi esse, antea in mente definitam, (pronoian, anticipationem veteres Philosophi dicebant), cum qua rem, quam perfectam esse volo, ceu cum prototypo confero.

De humanitate igitur nostra, an perfecta sit, judicaturis nobis, *pronoia* sive idea generalis perfectae humanitatis antea definienda est: cum qua nos comparemus, ut videamus, an tales simus, quales homines esse decet.

§. 2.

Quam ideam vel illis rebus contineri, quibus singuli homines & inter se conveniunt, & ab aliis non hominibus distinguuntur; vel sine describi, in quem obtinendum humana natura destinata sit: ex iis, quae initio diximus, intelligitur.

Quamvis autem duo esse perfecti genera videantur: ita tamen conveniunt, ut si unum descripseris, etiam alterum definieris. Nam illae ipsae res, quae humani generis propriae sunt, omnes in unum collatae, etiam finem ejus constituunt. (b)

Quem igitur finem ex iis, quae hominem distinguunt, colligere nos oportet, ut ideam, quam quaerimus, perfectae humanitatis in mente nostra informare possimus.

(b) Confr. notam ad §. 1.

-2-

Quod autem aliter fieri non posse, quam rationis ope, ex variis illis, quae ad humanam pertinere naturam experientia docet, unum colligentis: mox persuademur, si notionem perfecti consideravimus.

§. 3.

Perfectio nempe (liceat hoc, ceterisque vocabulis non latinis, a Philosophia autem signatis, uti) in re ipsa non inest; sed a ratione ei additur.

Cantus vel modulatissimus automati musici, nisi intellectus audientis harmoniam inde collegerit, quid est? nil nisi motus aëris e tibiis expressi, aures percutiens. Sic totum naturae systema, nisi ratio observantis cohaerentiam ejus comprehenderit, nil est, nisi collocatio & successio variorum phaenomenorum: nec aliter est perfectum, quam si rationi perfectam videatur. Inde tamen non colligas, perfectionem rerum naturae vanum esse mentis humanae figmentum: nam ut harmonia cantus automati ab auditore concipi non potest [potest], nisi auctoris ejus intelligentia eam antea conceperit, aliisque intelligentibus concipiendam, ope iustramenti [instrumenti] musici, fecerit: sic perfectio rerum naturae a ratione hominis non fingitur, sed ita cogitatur, si ratio creatoris eam cogitaverit, aliisque, ratione praeditis, cogitandam, phaenomenorum physicorum adminiculo utens, fecerit.

Unde patet, perfectionem humanam rationis qui-

-3-

dem ideam esse: ab ea vero non fictam, sed e rebus ad humanam naturam pertinentibus abstractam.

§. 4.

Quam vero ideam vagis omnino terminis Philosophi definiverunt: quia finem humanae naturae certum non posuere.

Qui autem duplici modo constitui potest: aut historiam humani generis consulendo, quae ostendit, quid praecipuum homines in terra quaesierint & praestiterint; vel principia naturae humanae, eorumque nisum necessarium, investigando.

Illa quidem usi sunt via, qui in dubitatione haeserunt: utrum ad felicitatem, an ad miseriam, ad virtutem, an ad pravitatem, ad hanc solam, an ad futuram etiam vitam, homo nascatur?

Ex variis tamen, quas Historia pingit rerum humanarum imaginibus, hoc certe colligitur, quod omnia mortalium opera & instituta ad felicitatem obtinendam intendant. Cujus vero diversam singulus homo sibi formet ideam: quam, e sensuum grata vel ingrata experientia ortam, deinde autem phantasiae, intellectus & rationis ope varie transmutatam, persequatur: sed semper fugientem, imaginisque instar aëreae, non nisi procul & supra terram apparentem, nunquam plene, assequi possit.

-4-

§. 5.

Unde augurari licet; dum animalia ad metam tuta & directa via feruntur, ad superius aliquid & sublimius, quam cupidinum satisfactionem, felicitatisque semper evanescentis, vanaeque umbrae similis consecrationem, hominem esse destinatum.

Cujus dignitatis humanae conscientiae, etiam in homine, vel a barbarie bestiali vix egresso, vel in turpissimam morum corruptelam sensuali luxuria reducto, confuse quidem, sed fortiter tamen, agere videtur: repenti sollicitatione plenissimum saepe turbans sensuum gaudium; speque & metu futuri non minus, quam memoria praeteriti, praesentis momenti, in quo solo animalia vivunt, voluptatem vel dolorem commiscens.

Praejudicio quidem, educatione propagato, haec conscientia in plurimis hominibus jam debetur. Sed prima hujus opinionis origo, quae fuit?

§. 6.

Ut e rudi exiit infantia humanum genus; mox aliquid sibi agendum esse sensit, cujus ratio reddenda olim foret. Sensus nempe mali, cujus causam praesentem non videbant, atque admiratio terribilium naturae phaenomenorum, notionem gignebant entium homine potentiorum, qui ei irascerentur. Unde voluntatis superioris, homini obediendae, culpaque e neglectione ejus oriundae, atque poenae culpam secuturæ, ideae mature exortae sunt.

-5-

Antiquissima cogitationis humanae vestigia in mythis primaevis omnium fere gentium obvia, nec non quae de superstitione ferarum nationum, in sylvis Americae & Africae vel hodie errantium, narrantur: hanc probant fuisse rei moralis originem.

Sed quamvis superstitio virtutis quasi obstetrix esset: ex interna tamen mentis humanae vi, e ratione scilicet, eam natam esse, judicamus. Quae nempe libertatem suae facultatis, a rebus externis non pendentis, ita prodere videtur, ut menti cuidam, extra ordinem naturae agenti, subjectam se agnoscat. Rerum nempe, animum interne moventium, quarum causas externas non videt, originem quaerere coelestem homo solet: quapropter multi divinitus inspiratos se crediderunt, cum idea aliqua nova clara & vivida mentem eorum subito percelleret.

§. 7.

Virtutis igitur, humano generi praeter felicitatem sequenda, notionem jam in prima ejus infantia exortam esse; illam vero cum religione intime cohaerere, quae, metu & spe justitiae divinae & vitae futurae, legis moralis sanctionem efficiat; nec ullam esse gentem vel maxime barbaram, quae virtutis & religionis, confusa quidem & superstitiosa, sed aliquantula tamen, non ostendat rudimenta, historia hominis testante: inde Philosophi judicarunt, hominem non modo ad felicitatem, sed etiam ad virtutem & religionem destinatum esse.

Haec tamen conclusio ab historia hominis ad finem

-6-

ejus non satis tute fieri potest. Illa enim ostendit, quid homo fuerit, non quid debeat esse. Atque virtus & religio, etsi mature natae, atque in omni hominum societate repertae, ita tamen crasso superstitionis putamine obductae sunt, ut tardissime omnino illud ratio perciperit; quo autem non facto, virtutis & religionis externa & sensualia involuera pro illis ipsis habita sunt. Immania facinora quae superstitio, nominibus sanctissimis virtutis & religionis abutens, commiserit: quis est, qui nesciat?

Quapropter, si a hominum consiliis & inceptis plurimis colligatur: difficile sit dijudicatu, utrum aliud illud praeter felicitatem, ad quod eos adniti videmus, virtus sit, ratione & religione comparanda, an fanaticus error, superstitione natus, foedaque saepe gignens flagitia.

Finem itaque humanae naturae certum & firmum determinaturi: illum non usu virium humanarum, qui varius est & saepe perversus, sed nisu earum naturali, qui unus est & necessarius, describere debemus.

§. 8.

Quis igitur est nisus necessarius naturae humanae? Duplex est natura humana: duplex ergo & nisus ejus. Unus est sensuum, alter rationis. Hic ad virtutem, ille ad felicitatem intendit.

Quidquid sentit, gratum non cupere, & ingratum non aversari nequit. Illa enim ipsa re, a plantis v. c., quae irritari quidem possunt (exemplum est celebre

-7-

Mimofae Pudicae), non vero sentiunt, animalia distinguuntur: quod malum vel bonum non modo praesens sentiant, sed etiam praeteritum recordentur, & futurum praesagiant; atque illud evitare, hoc assequi curent. Quae igitur cura ab humana natura, quatenus animalis est & sensu praedita, separari non potest: quamvis boni vel mali istius, quod homo petit vel fugit, notio a sensuali ad idealem transformari possit: studiumque felicitatis gignat, quae ad sensus non nisi mediate applicata, cogitari tantum potest. Omnis tamen felicitatis idea, cum a sensu originem suam ducat: tuto asserere possumus, hominis naturam, quatenus sensualis est, ad felicitatem, ut magnetem ad septentrionem, necessario vergere.

Ad felicitatem ergo destinatum hominem esse, aequè indubium est: ac eum sentire.

Qua autem re humana dignitas non continetur. Quamvis enim felicitas, ad quam homo adspirat, superior & latior sit illa, in qua bruta animantia haerent: in ea tamen petenda homo non nisi servum est animal. Atque a verme, qui unico fere utitur sensu ad alaudam, quae & vere & sole & cantu & amoris, prope moralis, suavissima cura delectatur; ac ab illa ad hominem, qui ideali (c)

(c) Idealis voluptas cum rationali non est confundenda, quae ab ordinis & harmoniae perceptione oritur: atque a felicitatis notione plene est diversa. Haec enim sensuum, illa rationis est. Exemplum voluptatis rationalis est illa, quam solutio problematis mathematici gignit: abstracta omni vel gloriae vel utilitatis notione, ea comparandae.

-8-

gaudet voluptate, progressio tantum est animalis naturae, in homine supremum attingentis gradum.

§. 9.

Sed non modo sensu, qui gratum petit & ingratum fugit: ratione etiam, quae ordinem poscit, perturbationem autem odit, homo instructus est.

Quamvis ille, ut sensualis, rerum externarum vi ad felicitatem quaerendam necessario impellatur; id tamen non impedit: quominus idem, ut rationalis, ab ista vi liberum se sentiat: omnique abstracto felicitatis studio, ad finem, quem ratio mera ei definit, adnitatur.

A Physico hoc mundo in alium, moralem scilicet, unumquemque nostrum cogitatione se posse transferre, extra omne est dubium. Fingas igitur, te extra sensualem hanc rerum naturam positum

esse: ubi, cum omnem exueris sensuum experientiam, omnem etiam felicitatis notionem perdidideris, necesse est. Quo autem facto, has tibi proponam quaestiones.

Velisne: ut in systemate rerum egregie cohaerente, quaeque ejus pars talem se praestet, qualis esse debet, ut locum suum in eo bene impleat, ordinemque & harmoniam totius systematis, h. e. unitatem ejus in varietate, conservet?

Velisne: ut in societate quadam, leges, quas singu-

-9-

lo observandas omnia ejus membra communi sanxerunt voce, a nemine perfringantur?

Velisne: ut in societate, in qua omnes ejus participes, ad communem finem quaerendum, legibus ab illis ipsis latis, obstringuntur, ille, qui rerum, ad obligationi ista satisfaciendum necessarium, plus habet quam ipse eget, alteri, qui earum minus habet quam eget, id donet, quod sibi superfluum, alteri vero necessarium sit?

Quid respondeas? Affirmes certe, te haec omnia potenter velle: si rationem tuam sequeris, quae ad unitatem absolutam necessario adnitetur, nil approbans, quod [quod] sibi ipsum repugnet.

Quid enim est ratio, nisi facultas & nisus, unum ex variis colligendi? Quam vim, si in theoreticis rebus mens indubie exercet: cur non in practicis etiam adhibeat? Diversitas enim objecti non facultatem ipsam, sed tantum effectum ejus mutare potest. Si mens humana aegre fert, theorema aliquod confundi: cur aequo animo videat, harmoniam actionum humanarum perturbari?

Manifestum igitur est: rationem, omni abstracta felicitatis notione, ad virtutem adniti. Quae scilicet tribus istis quaestionibus continetur: quas rationem, nulla consulta experientia, solvere posse, jam vidimus. Prima enim quaestio, juris naturae *absoluti*; altera officiorum socialium *perfectorum*: tertia vero *imperfectorum*, fundamentum ponit. Omnium vero officiorum

-10-

istorum commune principium est unitus illa absoluta, quam ratio necessario poscit (d).

(d) Non est hic locus omnia examinandi ratiocinia, quae pro & contra de hac re colligi possunt: neque id nostrarum est virium. Ex praecipuis autem argumentis, quae contra Kantianam honesti definitionem allata nos novimus, hoc esse nobis videtur: Quod ista Philosophia, virtutem supra naturae humanae vires extollat, cogitatione nempe factam, nec nisi cogitatione praestandam. (Vid.e.c. *Försök til en granskning af Kantiska Grunderna för odödlighet och en Gud*, pag. 9 & quae seq.) Sed utcunque honestum definiatur, ex omnium Philosophorum consensu non nisi idea abstracta est, in quam homines actiones suas dirigant: nunquam illam plene assequentes. Nam Epicuræi etiam eudaemoniam illam, quam petunt, perfectam in terra nunquam obtinent. Quamvis autem ad virtutis metam usque pervenire nequeamus: nonne tamen ad eam intendere, propiusque accedere possimus? Etsi nauta polum arcticum nunquam attingat, ad septentrionem tamen navem dirigit.

Deinde, quamvis honesti principium sit mera rationis idea: num tamen inde efficiatur, applicationem ejus in praxi esse nullam? Nonne thesium mere rationalium, quae mathesis pura demonstrat, in vita communi maximus est usus: quamvis punctum vel linea Mathematica physice

exhiberi nequeat? Ut Matheseos purae ad scientiam mechanicam, sic metaphysices morum ad doctrinam moralem, applicatio fieri debet & potest.

-11-

Ad virtutem igitur sequendam hominem esse destinatum, quatenus rationis est: aequum certum est: ac eum ad felicitatem quaerendam natum esse, quatenus est sensualis.

§. 10.

Rationalem autem hominis naturam sensuali esse superiorem; sensuumque quasi dominam rationem esse, quis neget? Lex enim moralis, quam ratio constituit, omnes rationis participes absolute obstringit, & una eademque semper est. Felicitatis autem petitio singulo eorum ita tantum est necessaria, si sensuali natura, cum rationali conjuncta, ad eam quaerendam impellatur: talem scilicet, qualem sibi pro suo sentiendi modo illam concipit. Qui nempe, cum a diversa corporis fabrica, educatione, rerumque circumstantium constitutione pendeat, varius omnino in variis hominibus sit, necesse est.

Unde facile est iudicatu: felicitatis studium legi honesti subijciendum esse. Virtus primum quaerenda est: deinde felicitas. Felicitas sine virtute obtineri nequit. Virtus autem, si felicitate fundatur, tota cadit. Quamdiu nempe demonstrari non potest, felicitatem necessario & semper sequi virtutem: tamdiu haec in istius fundamento, tuta haud requiescit. Quam autem demonstrationem frustra tentes, nisi bonam conscientiam felicitatis esse principium, statuas: quod autem ut fieri possit, honesti & officii notio, ex qua bona conscientia oritur, antea definita sit, necesse est.

-12-

Patet igitur, primo virtutem, secundo autem felicitatem homini esse quaerendam.

§. 11.

Cum vero in humana natura rationalis & sensualis vis intime cohaereant; illa autem ad felicitatem, haec ad virtutem necessario ferat: nullum est dubium, quin utriusque conjunctio summum sit bonum, humano generi destinatum.

Sed experientia docet: neque virtutem neque felicitatem perfectam ab homine in terra, vel separatim vel conjunctim, obtineri posse; qui nempe mundum moralem cogitatione quidem creat, in Physicum autem ita agere haud valet, ut hic cum illo perfecte congruat. Quapropter, aut credendum nobis est: Deum esse, cujus summa sapientia, sanctitas & potentia eos conciliet, hominique esse vitam futuram, ubi felicitas ejus cum virtute propius propiusque conveniat; aut rationis nullum facere usum possumus: qui nempe necessario poscit, ut spem foveamus, ad virtutis & felicitatis harmoniam propius propiusque accedendi, quamvis illam plene assequi nunquam valeamus (e).

(e) Haec argumentatio, quam in libro KANTII *Critik der praktischen Vernunft*, I. Th. II. B II Hauptst., expositam reperies, etiam illis approbanda esse nobis videtur, qui, existentiam Dei & immortalitatem animi humani allis argumentis probari non posse, cum Philosopho isto non consentiunt.

-13-

Atque sic finis, in quem homo destinatus est, clare elucet. Natus nempe est *ad virtutem absolute sequendam; felicitatem vero, sub conditione virtutis colendae, quaerendam; utriusque autem conjunctionem a Deo atque in vita futura sperandam.*

§. 14.

Fine igitur humanae naturae cognito, perfectio ejus quae sit, facile intelligitur. Quam nempe esse harmoniam rerum humanarum, ad finem homini obtinendum aptissime adhibitarum: ex notione perfecti, quam initio definivimus, efficitur.

Ad res autem humanas pertinent, cum vires, quibus homo instructus est: tum res externae, quibus circumdatus est, quibus utitur, in quas agit, quibusque agitur.

Culturam itaque & summam intentionem omnium virium vel mentis vel corporis, quibus virtus & felicitas hominis parantur & augentur, atque usum omnium rerum externarum isti fini consentaneum, ad perfectionem humani generis pertinere mox intelligitur.

Unde patet, aequae contrariam rationi sententiam esse Philosophi illius, qui homini, in terra virtutem conservaturo, in perpetua barbarie & ignorantia manendum fuisse, asserit; ac doctrinam Theologorum quorundam, qui illum a mundo secretum, ut eorum loquendi mos est, pietate inerti felicitatem in coelo assequendam mereri, fanaticè opinantur.

Progredi enim perpetuo, & perpetuo agere, hu-

-14-

manitatis est proprium: cum finis, in quem intendit, nunquam plene, in hac saltem vita, obtineri queat.

Quidquid idcirco hominis, non modo virtutem, sed etiam felicitatem & voluptatem (honestam scilicet) augere potest: id adhibere, ei non modo licitum, sed etiam injunctum est.

§. 13.

Primis igitur lineis perfectae humanitatis descriptis, integram ejus imaginem lectori ipsi depingendam relinquimus: temporis angustia coacti.

Facile autem ex his jam elucet: perfectum hominem, quem nos nobis concipimus, cum ab Epicuraeorum eudaemone, tum a Stoicorum sapiente, satis differre. Ab illo enim virtutis purae, sui ipsius causa, consecratio; ab hoc autem felicitatis externae ad virtutem additio; ab utroque vero justitiae divinae & vitae immortalis spes, eum distingit.

Hoc tantum denique moneamus: duas praecipue res homini singulo, ad finem humanitatis suae adnitenti, observandas esse. Una est, ut caveat: ne aliis ratione praeditis, pro meris instrumentis sui consilii obtinendi, utatur.

Altera est, ut studeat, res quascunque, quarum usu eget, naturae earum convenienter adhibere.

Quae autem conditiones e lege absoluta rationis effluunt, unitatem omnium rerum necessario postulante.

Franzén / Strömmer 1798 - Ideam perfectae humanitatis definitura.

”Täydellisen ihmisyyden idean määrittely”

Avainsanat:

ihmisyyden täydellisyys, Kant, järki, ihmisen päämäärä, epikurolaiset, eudaimonia, stoalaiset, hyve, onni, ikuinen elämä, Jumala

Jos haluamme tietää, onko jokin asia täydellinen, vertaamme sitä kyseisen asian täydellisyyden ideaan. Siten vastaan tuleva ihminen on täydellinen neekeri [sic], jos hänen kuvauksensa sisältää kaikki ominaisuudet, joiden nojalla neekerit eroavat muista roduista. Se, mikä on ihmiselle ominaista, ts. ihmisyyden täydellisyys, on samalla ihmisen päämäärä. Täydellisyys ei ole asioiden itsensä ominaisuus vaan järjen niistä muodostama näkemys; samoin musiikki ilman järjen tulkintaa on vain ilman liikettä. Ihmisyyden täydellisyys abstrahoidaan ihmisluntoa koskevista seikoista. Ihmislunnon päämäärä ei ole filosofeille selvä. Se voidaan kuitenkin selvittää (1) tutkimalla ihmissuvun historiasta, mitä erityisesti ihmiset maanpäällä tavoittelevat, tai (2) tutkimalla ihmislunnon perusteita ja niiden välttämätöntä tilaa. Tarkoitus on kysyä, syntyykö ihminen onneen vai onnettomuuteen, hyveeseen vai kelvottomuuteen, pelkästään niihin vai myös tuonpuoleiseen elämään.

Historia kuitenkin osoittaa, että ihminen pyrkii aina onneen, josta eri ihmiset tosin muodostavat erilaisen käsityksen. Filosofit päättelevät, että ihminen pyrkii onnen lisäksi hyveeseen ja uskoon; historia ei kuitenkaan voi osoittaa tätä riittävän pätevästi, sillä se kertoo vain millaisia ihmiset ovat olleet, ei millaisia heidän pitäisi olla. On siirryttävä tutkimaan ihmislunnon välttämätöntä tilaa (*nisus necessarius*), joka on kaksinainen: aistillinen ja järjellinen. Aistillinen pyrkii onneen, järjellinen hyveeseen. Aistit nimittäin tahtovat mielihyvää ja välttävät mielipahaa; järki vihaa mielen epäjärjestystä (*perturbationem*, hyveen vastakohta). Ihminen pyrkii hyveeseen, koska on järkevä. Mutta hyvettä on tavoiteltava ennen onnea, koska onnea ei voi omata ilman hyvettä. Jos taas onni hylätään, koko hyve romahtaa. Onni seuraa aina pakosta hyvettä. Epäilyksettä ihmissuvun päämäärä ja täydellinen hyvä on siis hyveen ja onnen konjunktio. Mutta kokemus opettaa, että kumpikaan ei voi olla täydellinen maan päällä, ei yksinään eikä yhdessä. Niinpä on uskottava, että Jumala täydellistää ne tuonpuoleisessa, ja tähän uskoon ihminen on syntynyt. Ihmiselle on ominaista edistyä ja toimia ikuisesti, mutta päämäärää ei koskaan saavuteta täydellisesti ainakaan tässä elämässä. Muotoilemamme täydellisen ihmisen idea eroaa siis riittävästi epikurolaisten eudaimoniasta ja stoalaisten viisaasta; nuo pyrkivät pelkkään hyveeseen sen itsensä takia, nämä lisäävät ulkoisen onnen hyveeseen; kummastakin ideamme erottaa jumalallinen oikeus ja ikuisen elämän toivo.

”En definition av idén om den fullkomliga mänskligheten”

Nyckelord:

Människans fullkomlighet, Kant, förnuftet, sinnena, eudaimonia, människans syfte, epikuréerna, stoikerna, dygd, lycka, evigt liv, Gud, liv efter döden

Då vi vill veta om något är fullkomligt, jämför vi det med fullkomlighetens idé. Sålunda är en människa man möter en fullkomlig neger [sic] om hans beskrivning innehåller alla de egenskaper som skiljer negrer från andra raser. Det som är kännetecknande för människan, mänsklighetens fullkomlighet, är samtidigt människans syfte. Fullkomligheten är inte en egenskap hos tingen i sig, utan en uppfattning som förnuftet skapar av dem, liksom musik utan förnuftets tolkning endast är luft i rörelse. I avhandlingen hänvisas till Kants *Kritik av det praktiska förnuftet*. Mänsklighetens fullkomlighet abstraheras ur sådant som berör människonaturen. Människonaturens syfte kan klargöras (1) genom att i mänskosläktets historia undersöka vad människor på jorden specifikt strävar efter, eller (2) genom att undersöka människonaturens grunder och deras ofrånkomliga villkor. Syftet är att undersöka om människan föds till lycka eller till olycka, till dygd eller oduglighet, och enbart härtill, eller också för ett hinsides liv.

Historien visar att människan alltid strävar efter lyckan, om vilken människor har olika uppfattning. Filosoferna sluter sig till att människan förutom efter lycka också eftersträvar dygd och tro. Historien kan ändå inte visa detta i tillräcklig grad, eftersom den endast förtäljer om hurudana människor varit, inte om hurudana de borde vara. Därför bör man undersöka människonaturens ofrånkomliga tillstånd (*nisus necessarius*), som är tudelat: sinnlig och förnuftig. Den sinnliga strävan riktar sig mot lyckan, den förnuftiga mot dygden. Sinnena eftersträvar välbehag och undviker obehag; förnuftet avskyr sinnesförvirring (*perturbationem*, dygdens motsats). Människan strävar efter dygd eftersom hon är förnuftig. Men om lyckan avvisas, säckar dygden ihop. Av lycka följer alltid med nödvändighet dygd. Mänskosläktets syfte och det fullkomligt goda är då en förening av dygden och lyckan. Ändå visar erfarenheten, att ingen av dem kan vara fullkomlig på jorden, varken ensam eller i förening och därför måste man tro att Gud fullkomnar dem i det hinsides. Till denna tro är människan född. Att sträva framåt och verka i evighet är människans kännetecken, men målet kan inte uppnås till fullo åtminstone i detta liv. Den idé om den fullkomliga människan som vi utformat skiljer sig därför tillräckligt från epikuréernas *eudaimonia* och stoikernas visdom; de förra strävar endast efter dygden för dess egen skull, och de senare tillskriver den yttre lyckan dygden. Från bägge dessa idéer skiljer sig den gudomliga rätten och hoppet om ett evigt liv.

”The definition of the idea of a perfect humanity”

Keywords:

Perfection of Man, Kant, reason, senses, eudaimonia, epicureans, stoics, virtue, happiness, God, eternal life, life hereafter

The dissertation seeks to define the idea of a perfect humanity. Perfection is not a quality of things as such but the conception of them, formed by Reason. The purpose of humanity is as yet unknown to the philosophers, but the question may be resolved in two ways: (1) By the study of history, and the investigation of that, which people usually strive for. This strategy has its flaws because it doesn't reveal what people ought to be like, only what they have been like. (2) By the study of the foundations of human nature and the necessary conditions for them. The latter method shows, according to the thesis, that the part of Man connected to the senses (in healthy cases) strives for happiness, and the reasonable part of Man for virtue. The ultimate good and perfection of Man would therefore be the conjunction of both, which would only be possible in the life hereafter, and with the help of God. Thus, men are born to pursue first virtue and happiness (which cannot exist separately, the thesis argues), and then to believe in the next life, where the perfection takes place.